

sit accidere, et quid agere debeat, si ita acciderit, definire: interdum duo et tria simul volvere animo, quae conjiciat, aut singula aut conjuncta accidere posse, et aut singulis aut conjunctis disponere actus, quos intelligat profuturos. Fortis ergo est viri, non dissimulare cum aliquid immineat, sed praetendere et tanquam explorare de specula quadam mentis, et obviare cogitatione provida rebus futuris, ne forte dicat postea: Ideo ista incidi, quia non arbitrabar posse evenire. Denique nisi explorentur adversa, cito occupant. Ut in bello improvisus hostis vix sustinetur, et si impato inveniat, facile opprimit: ita animum mala inexplorata plus frangunt. In his ergo duobus illa est animi excellētia, ut primum animus tuus bonis exercitus cogitationibus, mundo corde quod verum et honestum est videat: Beati enim mundo corde, quia ipsi etiam Deum videbunt;¹⁾ atque id, quod honestum est, solum bonum judicet. Deinde nullis perturbetur occupationibus, nullis cupiditatibus fluctuet. Neque vero id quisquam facile facit. Quid enim tam difficile, quam dispicere tanquam ex arce aliqua sapientiae opes, aliaque omnia, quae plerisque videntur magna et praecelsa? Deinde ut judicium tuum stabili ratione confirmes, et quae judicaveris levia, tanquam nihil profutura contemnas? Deinde, ut si quid acciderit adversi, idque grave et acerbum putetur, ita feras, ut nihil praeter naturam accidisse putas, cum legeris: Nudus sum natus, nudus exibo: quae Dominus dedit, Dominus abstulit:²⁾ utique et filios amiserat et facultates? Servesque in omnibus personam sapientis et justi, sicut ille servavit, qui ait: Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.³⁾ Et infra: Sicut una insipientium mulierum locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, quae mala sunt, non sustinebimus.⁴⁾

1) Matth. 5. 2) Job. 1. 3) Ibid. 4) Job. 2.